AD H. GROTII DE JURE B. & P.

Lib. I. Cap. III.

DE JURE MAJESTATIS.

I.

SUMMOS in re ardua carpemus apices. MAJESTAS EST FA-  
 CULTAS REGENDI CIVITATEM, quæ vim integri habet,  
 modificatam ex natura Societatis civilis, & voluntate eorū, qui  
 dederūt. Et hæc est in populo, tanquam subjecto COMMUNI.

I I.

EST FACULTAS: Ergo *Jus perfectissimum disponendi de rebus ad Rempublicam pertinentibus ἀνοικ&θύνας*, liberrimè, citra obligationem Civilem. Ratio: quoniam totum est ἀνοικ&θύνον, liberrimum, civili vinculo solutum, ergo & id quod habet vim integri. Quæ facultas se exerit, vel per unum, Regem: vel plures, selectos; ii sunt ἀεισοί: *promiscuos*, ut in Comitibus; hanc *Democratiam* vocant, quâ tamen *mulieres, infantes, mendicabula, & x* plebis arcentur, ex quâ consideratione *Timocratiam* extrui necesse non est.

III.

INDIVISA sit oportet. Societas *unam animam*, unicum virtutum culum habet, ergo & id quod vim habet integri. Implicat *unitas Moralis* sub diversis capitibus ἀνοικ&θύνοis. Ne decipiantur terminis caveant sibi Philosophi, quorum aliqui si aliter sentiant ejusmodi *mysteria Politices* pro mea stupiditate non intelligo, neque ubique *Grotius*, ejusque commentator *Gronovius* satisfacit. Adeoque Respublica VERE MIXTA monstrum est, *Civitas non-Civitas*. Dico VERE MIXTA, cum *Jura majestatis principia* diversi possident ἀνοικ&θύνοis. Nam si DEPENDENTER vel ab invicem, sunt ἀεισοί: vel ab uno? Senatores Regis, qui habet vim IRRITANDI & suspendendi actiones & decisa reliquorum, qui est *effectus formalis Majestatis*, ex eo agnoscendæ ubi resideat. Perinde sit, num ADMINISTRATIONEM *Jurium Senatorum* vel DIVISI, vel JUNCTI, sive etiam POPULUS aut absolutè, aut concomitantè habeat. Si vis irritifica residet in populo, populus, si in Senatu, Senatus erit summus imperans. Contingit quidem, quod notari velim, ut irritificandi *Jus* in quibusdam per pactum tacitum vel expressum aboleatur, & aliquid POSSINT contra majestatem ii, quibus v.g. *Jus Leges ferendi, tributa colligendi, velut absolutè transcriptum est. Imminuta* tamen majestas, ejusque vis irritificandi adeo non erit, ne *supereminenti Jure etiam pactis conventis derogare, & quibuscunque concessionibus, promissionibus, indulgiis* robur Civitatis causâ adimere possit. Sapienti sat! Si INDEPEDENTER UNIUS AB ALIO monstruositas adparet in Republicâ, non nisi casu, saltim fragili pacto, cohæsurâ: non impari ratione, ac si tres animas in corpore, vel plures à se invicem avulsas, nec ab uno imperio pendentes

statueremus, q̄uo simili sapius & auctus utitur Philosophus Arist. Ubi tamen lateat ILLA VIS in *Car. Stor.* de Civitatibus, v. g. *Angliã*, definire arduum est, cum ip̄is populis sæpè non liqueat: quidam enim Regem esse *Socium* & *æ. 1500* cum Parlamento asserunt, habentem *Jus præcipi*, & *speciem Regis*; & hoc modo *Rex, Superioris & inferioris Parliamentum* (quorum *hoc* Democratas speciem, illud Aristocratas habet) tres *æ. 1500* constituerent non nisi communi calculo, singuli tamen pro suo officio, aliquid decernentes. *Regem*, qui ultimum vorum habeat, irritare & suspendere reliquorum decisa, non quã *Regem* & *Car. Stor.*, sed quã **CONSENATORIORUM** corporum *membrum præcipuum*. **CONTRA** ALII affirmant, vim indivisam majestatis in *Solo Rege*, in reliquis exercitium *dependentem* esse. *Plaustra Scriptorum* de his allegare superfedeo.

## IV.

Cum igitur perinde sit, quã is, qui *Majestatis* radice & *Facultate* gaudet, Republicæ formã in *infinium variabili* circumvertatur, *Princeps* tamen Dictator, & qui *regia omnia possideat*, pro **TALI** statim haberi non debet, ut putarent imprudentes & tũ *non nihil* ignari. Qui *ad rationem* tenetur irritabilem à populo, non *Rex* sed *Princeps* est: Dictator *ad tempus*; sed valituris sine censurã decretis, *Rex*: *sin secus, merus executor* est, *Dux belli, Judex Hebræorum, Ephorus, Rex Spartanus. vid. Arist. l. 3. Pol. c. 14.* Sed ad rationes non semper *exactio* requiritur, modo *Jus* reservetur. *Fridlandi* summum Imperium solœcismus fuit illorum temporum. At si quid rex imperet, *Senatores & nobiles* stricto gladio, **VELUT SUO JURE** dissolvunt, iste *Senatoriam dignitatem* non egreditur.

## V.

Hæc **FACULTAS** modificatur 1. A **NATURA CIVITATIS**. Ejus administratio non efflagitat, ut **QUODLIBET LICEAT**. Talia cantillant parasti. Nam (a) *Civitas est cœtus liberorum hominum communis Juris fruendi gratia conjunctorum*, quod & *Stagirita* sapius inculcat, non quã *Republicanus Græcus*, sed ex vero. Ergo excipiuntur *dominia, libertas, conscientia, Religio* & reliqua quæ transcribere in alios jura à **DEO** & naturã homines prohibentur. (b) Ad hujus finem non requiritur *Dominium* nedum *Absolutum*, quam admittamus *Imperium absolutum* (la *Sowvrasnitè*, quod non



est *Dominium*, cum imperans in suum *commodum*, *gloriam*, & *voluntatem* omnia confert, nec pluris habet populum, quam *ruficus africanum* operas praestantem, quem alii, ne pereat. Sic *paupertas* civium, *overfo familiarum*, *bella inutilia*, quid imperium *Civium causa* comparatum, & *Dominatum* interfit, luculentissimè declarant, ut *DEO Pythio* non sit opus. (γ) Non plus est in *aeisou* & *Rege*, quam *FUIT IN POPULO*, qui si *majora* per vota ritur, in re *NOTORIA* non potest opprimere *partem* etli *MINOREM*.

V I.

Quapropter 1. Errat *Grotius*, qui autumat, sub *regno libertatem* amitti. §. 12. & *L. 11. 24. 6.* 2. Etia iudicium non datur in *Regem*, tanquam à *superiore*, datur tamen in *notorio*, à *Ratione COMMUNI*. *Cives* non sunt *stipites*, qui sensum ex *secundo pacto* amiserint, multo minus *lepisculis* assimilantur (de quibus *Antisthenes* apud *Aristotelem*) sub *Leonis imperio* frustra de *aquitate* censentibus. 3. *Majestas* ubiq, *summa est*, sed *RELATE ad finem*, non ex *arbitrio* statuentis, qui limites transiliendo *civiles* peccat *more Regis*, ut *caput* nimis lubrationibus corrumpit corpus. Si *habium* contrahat, manifestis *insidiis* ad *subruendam libertatem*, ipso facto excidit *Jure*, quod *subditi* transfulerunt. Inde tamen non sequitur, *Cives tollere Regem*, aut *officium detrectare* debere, nam obligat ad *patientiam*, non *dignitas Regis*, sed *salus Republica*, turbis sic *eximendæ*.

V II.

*MODIFICATUR. 2. à VOLUNTATE CONFERENTIUM*, plurimis quidem modis. (α) primò *populus servat* *majestatem*, vna *puta irriticam*, & *radicalem certis* *cognoscendam* *documentis*, non *mera* *presumptione*, nec *temporis tractu*, aut *mero silentio* *æstimandam*, (ut putant illi, qui *Republicam* *opprimunt metu* & *artibus*, *sufficere ad dominium* & *Jus*, si *hiscere* *contra nomen* *audit*) *creat autem* *Principes* & *Magistratus*, *Regum*, *Ducum*, *Dictatorum* *titulo*, quod huc non spectat. (β) *transfert* quidem in *aeisou* & *unum*, vel *Duum viros* *summa POTESTATEM*, sed *exterius limitatam*, ut *hætenus ipsâ Civili Libertate*, ita *libertatis* *quibusdam accessoris decretis*, v.g. *circa modum consultandi*, *judicandi* de *Republ.* *circâ privilegia* *Ordinum*, *civium immunitates*, *exemptiones*, & quid non. Si *nimum ligetur* *majestas*. *sibi cives* *imputent*, si & *mon-*

*Frum* faciant ex Reipublica per nimias *maximè* *causas*. Iccirco plusquam futile est argumentum ex placitis *Hobbesii*. *Cives me fecere Regem, quantum est? Regem: Unà præscripsere Leges, Rex habet vim integri; Ergo mutabo Leges quia possent cives simul sumpti, qui corpus esse desierunt, Ergo non teneor.* Putidam *Philosophiæ* dominationis avidam nemo non agnoscit. (y) *Modificationi* tamen *EXPRES-*  
*SIS* *TABB.* caveri debet, v.g. *Lege commissoria*, quæ si obsequium detrectet populus ex *flagitii* *notorii* *conditione*, hoc ipso majestatem non servat, sed *naturalem Libertatem* *judiciumq;* *sensuum.* vid. *Grøtium* §. 9. ubi disputat contra *Monarchomachos;* *van der Meulen;* *de Sanctimonia Imperii;* *Schelium;* *Miltoni Iconoclastem* &c. alios, sed cum grano salis.

VIII.

Variis tamen ex causis evenire potest, ut *Majestas* *limitata* in *exercitio*, vel *ABSOLUTA* fiat, vel è *contrario* *PENITUS* *AMIT-*  
*TATUR*, desitura in *Magistratum*. *ILLUD;* cum *usurpationem* *MODI* in imperando aperte *toleret* populus, & *comprobet*, quod ex *Diæti* *mage*, quam alia ratione cognoscitur. Solent autem dominaturi *conventuum speciem* & *causas* amoliri. *HOC:* cum *Majestatis* *Jura* sic succiduntur, ut ipsa non jam *exercitium*, sed *partem* *essentialem* amiserint. *Rex* hætenus, vel *Senatus* populo armis vincente, expressis *pacificationum* *formulis* *imminutioni* *potestatis* consentiat & acquiescat.

I X.

*EXCIPITUR:* Invita politica hæc dici. *Nam Majestatem* *judicio* & *detractioni* non subesse, *turbis* *velificari* *sententiam*, quæ *injuria* & *Tyrannidis* prætextu civitati facultatem tribuat, *de Nul-*  
*litate imperii* ex specie sapius falsâ, ob tectas imperantium rationes, temerè judicandi. *Cæco* & *absoluto imperio* *standum esse:* Alias imperantem summæ potentia nomen frustra ferre. Quasi verò 1. *Cives* in *faxa* & *ligna* mutarentur, quamprimum in *Civitatem* coeunt. De tam stulto consilio nunquam *cogitarunt*, nec *cogitant*, quasi unius homunculi *petulantia* *cervicem* *subjicere* pulchrum ducerent, hoc enim ne fiat, sicut in *S.N. civilem vitam* seligunt. 2. Non *judicant* *de Tyrannide*, sed eam *sentiunt*. Facile lapsus humanæ fragilitatis & dominatum discernunt; qui tanquam *Ordines* *Reipublicæ* admoti

technas secretiores inspiciunt. Neque de testis sed apertis & notis  
 viis sermo est, ut in causâ Anglicâ. Mirum Jesuitas arguissimam gen-  
 tem probetis & fungis Anglos habuisse. Quasi Test. abrogare, Coll. gna  
 Oxoniensia monachis replere, bonorum quorumvis bonis. & fortu-  
 nis petulanter insultare, non fuisset evertere *Leges Fundamentales*.  
 3. Vanus turbarum metus & Optimè regnari Provincias, quæ *Sta-  
 tus* habent, *limites* potentia, *Experientia* stultorum *magistra* testa-  
 tur. Qui tamen servi magis, quam Cives esse malint, illi à *Liberorum*  
*dominatu* specimen Imperii, felicissimè scilicet arcessant.

AD H. GROTTII DE JURE B. & P.

Lib. I. Cap. III. .

DE CASU NON-RESISTENTIÆ.

I.

Vulgatum hoc in Anglia nomen, *Case of non resistance*, or-  
 tum, cum *Carolo II* regnum firmaretur; sub incudem di-  
 sceptionis revocatum, cum *Jac bo II.* ejus fratri sce-  
 ptrum abrogaretur, confer. *Robert Sheringham* tr. of the  
*Kings Supremacy*, & *Anonymus* lib. tit. *Tuvo treatises*. Reipsâ in-  
 quiri debet, utrum Majestati aliquibus ex CAUSIS RESISTERE  
 LICEAT? *Resistere* aliud quid est, quam *rebellem agere*, (quam  
*vocem* semper in ore habent Tyrannorum, impudentissimi, ut *Do-  
 mitianus* c. 12. *Sueton.*) *repu gnare*, & hostilibus armis in eminentia  
 constitutos *oppugnare*. Etiam res, pro quibus conservandis resi-  
 stere amant subditi, non unâ eademq, decempedâ mensurantur.  
*Conscientia* potior ratio habenda est, quam eorum, quæ vitæ morta-  
 lis commoda concernunt, ne vitâ quidem exceptâ. ILLA DEI fasci-  
 bus *âmpetens* subjicitur: HÆC ad vim & injuriam patienter toleran-  
 dam patent. Eamus per *Prophetas*; *Grotius* enim suas sectatur opi-  
 niones, & suas alii.

I I.

• MAJESTAS, utut abs hominibus collata, *ἀνθρώπων κτίρις* hu-  
 mana constitutio apud *Petrum* Epist. 2. 17. VIM TAMEN paren-  
 di maximam à DEO accipit. Scio dogmata recentiorum. Colla-  
 tis.

eis rationibus refragari nequeo. *S. Patribus*, neque, si penitus contem-  
 plor, ipsi *Scriptura*: ἡς λόγια ἡμῶν Πησιδ' ἤσαν. Magna vis latet  
 in verbis, quod ἐξουσία ἐπιτέχουσα sit ἢ τῷ Θεῷ. Θεῷ Διακονῶ, ejus-  
 que διαλογῶ. Rom. XIII. 1. (α) *Majestas* ut *POTESTAS* est, oritur à  
 DEO per *PARTICIPATIONEM*, *REPRÆSENTATIONEM*, *VI-*  
*CARIATUM*. Nec rationes obstant de *PIGNORE* (quasi plus con-  
 ferre possint cives, quam habeant, Jus sc. vitæ & necis, cum & ex pi-  
 gnore constituto nasci queat *Dominium*) & *PACTO*. Hoc occasio-  
 nem dat, ut sit *majestas*, quemadmodum generatio, ut sit *pater*:  
 patris vero auctoritas καὶ ἐξουσία pendet à DEO. Illud de pignore  
 planè ἀλόγιστον est, cum ex pignore non oriatur dominium, nisi qua-  
 tenus ipsa securitas *eiusdem* in venditore *spem* fecit. (β) *Majestas*  
 etiam est à DEO, sive regia sive alia sit, quoad *JURA ET PRIVILEGIA*,  
 ut sit ἀνυπερδυνῶ. *summa, armata gladio*, quæ omnia *COGNO-*  
*SCUNTUR* quidem ex fine, cum fine his *majestas* concipi non pos-  
 sit: *NECESSITAS* autem & *Jus intrinsecum* à DEO manare intel-  
 ligitur. (γ) Etiam *Majestas* in *applicacione* ad personam est à DEO,  
 licet non semper *effectivè*, saltem *permisivè*. τὸ *EFFECTIVE* co-  
 gnoscitur tam ex *Jure imperantis* & *consensu civium*, quàm ex *Justo*  
*DEI* *judicio*, qui *REGES* constituit in *IRA*, cum illos qui *Jurè* im-  
 perant, verum ineptè; cum illos qui *injustè* sive *ex causa imperii*, sive  
*administratione ejusdem*, sive *ex utroque*, dum *Tyranni* *dominan-*  
*tar* tales sive *titulo* sive *facto*, ut aliàs loquuntur. Simile hūc qua-  
 drat *Patria potestatis*, cujus alia sunt principia *essendi*, alia *co-*  
*gnoscendi*.

III.

2. *Majestate EXCEPTA* non comprehenduntur, tam quæ  
*naturâ* excipi necesse est, quàm quæ *voluntate*. *NATURA* exi-  
 muntur *Civili* *summa potestate*, *Conscientia* quamvis *erronea*, *liber-*  
*tas*, *dominium*. *VOLUNTATE*, quatenus vel *facultatem* *Majesta-*  
*tis* aut *exercitium* restringunt *Cives*, *capitulatione*, *Legè Commissio-*  
*ria*, *usu jurium*, *receptâ consuetudine*.

IV.

3. *Tolerari* quandoque debet, si *Majestas* *limites* *potentiz* *trans-*  
*grediatûs*, *partim* quod *fines* inter *summum imperantem civilem*, &  
*Tyrannum* *difficiliter* *regantur*, qui fit vel *Dominio* ipso *arrogato*, vel

*Domini* in regnis despoticis in servos civium nomine condecoratos *abusu*: *Partim* quod media desint curandi vulneris, adempta Synodorum libertate, extinctis Proceribus & oppressis: *Partim* quod Lex obstet, SERVA PACEM, licet cum *molestiâ*, & quorundam exitiabili damno.

V.

In his quid Jus sit ex *utraq;* parte non *presumptionibus* obscuris & disceptatione vexandis, sed NOTORIA COGNITIONE niti debet: quæ cum profundè sæpius delitescat, dicacibus famæ impu- tationibus nemo facile crediderit, qui & *Charitate* Principum acta metiatur, & quam *proclivis* sit ad errores in summa fortunâ *declinatio*, apud animum suum reputet.

V I.

Eapropter I. *Non licet RESISTERE*, cum Majestas in Civilibus *sine limite imperat*: donèc de *Tyrannide* constet, quæ in sapien- tem, & *mente non motum* Principem vix cadit, præsertim ut Brutus in vindiciis & Hermannus Schelius de J. Imperii p. 184. describunt. De *Tyrannia* Græcorum, quorum percussores *statuam* merebantur, & qui ipsi fatebantur, se *Tyrannidem injustam* involasse, jam non est dicendi locus. Quid enim non facerent *Respublica in Europâ libera*, ubi Monarchia exulat? Quis enim in *viscera sua* sæviat, quis com- modo suo nisi insangus adversetur, cum Rempublicam pessundare sit destruere omnem fortunam imperantis? Adeoque ne talia qui- dem excipiuntur, si in *quorundam*, NON OMNIUM, facultates & libertatem inolet Summus imperans, vela daturus *odio, ira, iudicio*, cui delationes improbæ speciem Justitiæ nonnunquam circumpon- nunt: MAJESTAS enim est à DEO, nec quicquam ejus com- petit *Magistratus* ut tali, qui vocatur, *πεμπόμενος διὰ βασιλέως*. I. Pet. II, 14.

V II.

II. *Licet resistere* h.e. NON-OBSEQUI in *Rebus EXCEPTIS*: & quidem *Semper*, in iis quæ *Conscientiam* contaminant, non *scrupulosam, dubiam*, sed DETERMINATAM, sive *vera* sit, sive *Erro- nea*. Hæc enim Vox DEI est in animo hominis, cujus *Legem huma- nis*, & *per ipsam oppositionem* detestandis postponere, nemo nisi im- pius à *scelere* excusabit. Act. IV. 19. Eleganter S. Ignatius, qui sub

manus cadit Epist. ad Antiochenes. Τῷ Καίσαρι ἐπιτάγητε ἐν οἷς ἀντι-  
 δουρῶ ἰσχυρῶν. Τὰς ἀρχοντας μὴ ἐπειδίετε εἰς παροξυσμὸν, ἵνα μὴ  
 δῶτε ἀφορμὴν τοῖς ἕτεροι καὶ ἡμῶν, h. c. *Casari subiecti estote in iis,*  
*in quibus subdi nullum periculum est: Sive ut Const. Apost. l. 4. ex-*  
*primit ἐν οἷς ἄλλοι Θεῶ, quæ DEO placent. Nolite Principes ir-*  
*ritare, ne ansam desint eis, qui eam contra vos quarunt. Eadem sen-*  
*tuit Epistola Eccles. Smyrnenfis de Martyr. Polyc. Resistere licet et-*  
*tiam iis, qui EXCEPTIONIS JURA moderantur, quacunque de-*  
*mum Reipubl. formâ fallacibus titulis plerunque contactâ, populus*  
*ipse sit, vel Senatores. Sed utrum OPORTEAT ex necessitate, vide-*  
*runt prudentes, cum Jura sua vindicatum ire, saltem eripi non pati,*  
*hanc semper è re sit Civitatis. Ubi distinguitur inter subditos sim-*  
*pliciter, & Majestati absolutè regnanti subiectos, & EOS, qui Jura*  
*Majestatis SEORSIM exercent, & Statuum nomine salutantur. E-*  
*quidem resistentes ex conscientia semper ingens infortunium sequi-*  
*tur; nemo enim nisi potestate ferox dominatum in conscientias ar-*  
*ripit: Sed Christiano quâ tali, nisi de Tyrannide apertâ constet, ipse-*  
*que Status sit,) præter fugam & detrectatum obsequium nihil reli-*  
*quum factum est, quàm preces & lachrymæ. Notari etiam meretur*  
*Religionis obtrusionem sæpius revocari fieri, quod à Romanâ Cu-*  
*ria dudum experti sunt melioris notæ Christiani, non semper ex*  
*Tyrannide, si Principes spectemus superstitione & cruentis princi-*  
*piis imbutos, qui gratissimum DEO & Sanctis arbitrantur, favere in*  
*conscientias.*

VIII.

III. *Arma sustollere, exhausta patientiâ, licet in eos, qui Jus*  
 NULLUM HABENT regnandi, nisi pacto tacito convaluerit, &  
*tolerantiâ detrusi solio imperantis: Et, si habuerint, Tyrannide NO-*  
 TORIA illud concoxerunt, ad quam alienatio aperta partis imperii  
 malè refertur; potest enim fieri ex causâ civili justissimâ, licet laten-  
 te. Arma autem FOLLERE non statim oppugnare significat, sed  
*armis circumjellis contra eos, vitam, aras & focos tueri, queis, pro-*  
*culcatis omnibus remediis, remonstrationibus & delinimentis de-*  
*cretum est, innocentes ad orcum mittete, & impotenti dominatû*  
 velificari: id quod egregiè faciunt, & nunquam non minantur inoli-

in *superstitionis parasiti*. Tales nihilominus, si in manus ultrices incidant, ob *sanctimoniam dignitatis* comiter haberi necesse est, quod *divinum infigne*, diadema, gestaverint, quidquid sit de *Unctione*, de qua multa *Blondellus* contra *Chislet, Geneal. Fr.* ubi & de *Ampullâ Rhemensi*. Abstinentium & sanguine & injuria! *ἄτοι ᾧ Φαῦλον Βασιλέα κλαυῖν; Npn leve quid Regum cades.* Eurip.

IX.

Collige ex dictis 1. A subditis *non puniri principem, sed mereri* ut HOSTEM. 2. *Polliceri aliquid*, nisi majora ligamenta doceantur, non præjudicat summæ potestati, & *absoluta*, quam non nisi RESERVATA expressa restringunt. Unde qui promissis non steterit, nondum ex eâ culpa inter *Tyrannos & hostes* numeratur. 3. *Sine scelere ut imperii justis limites nemo transgreditur*; ita *sine scelera delicta* regnantium rarissimè corriguntur. Cæterum Auctores, qui *Jus Hebraorum Regium* I. Sam. VIII. pro *Cynosura* imperii Civilis, & cùm primis *Monarchici* allegant, extra oleas vagantur, argumentati ab *ἰσχυρῶν* ad *θεῶν*, ut videre est ex v. II. Quid ad Europæos, aliasve gentes *Jus Hebraorum*, vel dominatus, vel *regnum mixtum*, vel aliud quid fuerit? Dicam meretur Grotius §. 4. h. l. quod pro stabilienda obedientiâ Civium *Legem N. T.* recoquit, & dictum, I. Pet. II. 12. de *servis* in medium profert. An igitur Cives sunt servi? Neque minus *inter virtutem & ea quæ sunt juris* in Exemplis Christianæ Antiquitatis non satis dilucidè distinguit. §. 7. Quid enim illa de *immani sævitiâ, de necessitate, &c.* quorum causâ resistere LICEAT, quam *involutra veritatis, & dubia responsa mutantis Oraculi*. Argutius illud §. ult. Bonum Civem sequi *possessionem Imperii* in RE CONTROVERSA: quam ob causam distinxerunt paucos ante annos nonnulli Anglorum inter Regem *de facto & de jure*.

X.

Supplementi instar ex *Clerici viri doctissimi Commentariis* ad Num. XXV. raptim annoto, dubitari posse, num *Respublica Hebraorum*, cujus §. II. mentio facta est, *perfecta* jam fuerit in *deserto*. *Observandum*, inquit Auctor Grotio in multis suppar, in *deserto Moysen Hebrais* extraordinaria *potestate præfuisse*, neque *Republ.*

publ. proflus constitutam fuisse, quod ipse Moses significat Deut. XII. 8. Hinc ergo, ex Phinchasi exemplo nullum consecrarium duci potest ad privatos, qui Republ. constituta Magistratum munus involant.

AD H. GROTII DE JURE B. & P.

Lib. I. Cap. V.

DE MANU MAJESTATIS AUXILIA-  
TRICE.

I.

**U**T in St. N. alter alteri auxilio esse potest, manu, consilio, factis : ἀνδρῶν ὁ ἀνδρῶν δαίμωνιον, homo homini DEUS, ut proverbium est apud Suidam : & DEI proprium est vel *servare* vel *benefacere*, ut Tullius loquitur. l. 1. de Nat. Deor. Ita summos imperantes nulla vi juvandi nullâ arte destitutos maximè omnium concernit ἰδαίμωνιόν, deos *benefaciendo imitari*.

Regia crede mihi res est succurrete lapsis;

*Convenit & tanto, quantum es ipse viro.*

Conveniens homini est, hominem servare, voluptas:

Et melius nullâ queritur arte favor,

uti legimus apud Ovid. Pont. l. 2. cl. 9.

I I.

Atenimvero vix suppetit Majestati juvare alios, nisi per CIVES, quorum animis, manibus & facultatibus utitur tanquam SUIS. Uno spiritu trahuntur omnes, ceu nervis mobile lignum. Unde si à capite motio quædam in alienas suppetias oriatur, civium est obsequi, ex *communis Lege*, quâ in imperantem circa civilia operantem, quicquid est propriæ voluntatis transtulerunt. Nec obest, ALIORUM commodo civem armatum expediri, non ipsius Reipublicæ. Nam & hujus saluti & fortunæ velificatur isthæc alios *juvandi facilitas*, quandoquidem omnes eadem fors manet, ut aliorum opem circumspicere cogantur, præsertim quod seorsim difficilius, quam junctis viribus, mutuo auxilio sublevandi adverfa dispel-

D

lamus:



iamus: *μῆς γδ χειρὸς ἀδενὸς μάχη. inválida est pugna, una quanta  
gerit manus, juxta Euripidem nostrum in Herac. sive illud vulgatum*

*Αὐτὸ γδ ἀνδρὸς ἢ πόλις σῶζει πόλιμ :*

*Χεὶρ χεῖρὸς νίπαι, δάκτυλοῖτε δάκτυλον.*

*Servat virum vir, civitatem civitas;*

*Digitum lavatq̄, digitus & manum manus.*

- III.

Juri huic *Sequela* obligantur omnes, qui Majestatis imperio subjiuntur, *sive pacto* Civitatis, sive *vexu militari*, non quocumque ( *ut feudalem*, hinc excipi intelligas, hujus enim fides ad periculum Senioris, non quodvis benefacendi studium porrigitur ) sed qui *stipendio* devincitur. De hoc, milite puta *mercenario*, & in quosvis cæcâ obedientia parato prolixa disputationes agitantur. *Grotius* l. 2. c. 24. §. 10. *Propter prædam militare*, ait ex Augustino, *peccatum est, Imò & propter stipendium, si id unice & præcipue spectatur*; cum aliqui *stipendium accipere licitum sit omninò*: *Tis ἐπατινέται ἰδίους ἑλπίοις*, ait Paulus Apostolus? *Quis suis impensis militat*. Ut ut igitur Civium sanguini parcatur, qui *tributis impostis* stipendium subministrant peregrino militi, gloriosius tamen Romanis Græcisque visum est, *propriis Civium pectoribus Patriam tueri*, præsertim quod & *Grotius* l. 2. 26. §. leve nimis in eo effugium quærere videatur, quod *mercenariorum voluntate etsi malâ rex justus uti queat, quomodo DEUS & Diaboli & impiorum paratâ operantur*: Quasi vero DEUS stipendiis amplis peccatum aliciat, foveat, neque peccare desinant, sacramento sibi devinciat, ut eos solent, qui *viam aliis occidendis pro pecuniâ numeratâ vendiderunt*. Cives leguntur ex *Voluntate* Majestatis, & *necessitate publicâ*; Hi spe *lucelli & impunitatis* omnium ferè scelerum. Sunt tamen causæ, ut cum *patria* limites abundantiam civium non capiant, hi per *colonias* migrarent, ut olim factitatum, docente *Lazio in Commentariis* hac de re luculentissimis; vel cum *Orbis* undiquaque mortalium sit plenissimus, *alii* suam operam addicant, *salvis conditionibus*, queis *justi & honesti* ratio obtineatur. Tales non *voluntariò*, sed *JUSSI*, saltem ex *vacato Patria mandato* militant. Expropter qui *prorsus voluntariam* expeditionem suscipiunt, velut qui artem occidendæ ex *πράξει* addiscere gestiunt, si pollutas humano sanguine dextras in-

justi

jussi referunt, quam parum absunt ab homicidis? id quod de filio suo censuit Cato, quem sine sacramento, tanquam Religionis & civitatis auctoramento, militare noluit. Neque arbitror eos à summo scelere absolutum iri, qui nullo in Patriam communem commode miserandas suæ avaritia, & hostium furori victimas obijciunt. Quid respondebunt, SI CARO VENDITA Judicique CHRISTO causam probatura resurget?

IV.

PACTO CIVITATIS obstringuntur, qui suam opem Republicæ conferre possunt, nec excipiuntur mulieres & Sacerdotes. Illarum prædicatur virtus etiam in bello; & habent nostra quoque tempora suas Amazonas. Sago contextas, gladio succintas, crines, manus, ollas ferventes, imo & consilia salubria bello & hostibus arceendis contulisse memorant Historia. Commune periculum metusque efficit, ut natura seipsam superare videatur. Incendium restinguit proximus quisque animo & robore valens. Sed quid de SACERDOTE GLADIATO dicendum? Apostolos gladiatos iter fecisse docet ex Scripturis Grotius. Gladios gestarunt Levita sacro ministerio dedicati. Quid obsit? quo minus & monachi precibus tela conjungant, ut truculentum à mœnibus, aris & focus barbarum amoveant? Hostili quidem sanguine Clericos abstinere jussit Concilium Ilerdense in Hispania, dist. 50. c. de his Clericis. & si in obsidione quenquam occidissent, per biennium & officio & Communione corporis domini privabantur. Sed necessitas Canonis reverentia non ducitur. Unde ad militaria, excubias v.g. agendas cogi possunt. c. 2. X. de immuni. Eccl. idque à Statibus Imperii vi superioritatis territorialis. Rhetii J.P. l. 2. tit. 2. 31. At extra eam militari cingulo lumbos arctari Sacerdotum, insolens & indignum. Post baptismum miles Sacris Ecclesiæ functionibus præfici non poterat. Innocentius Epist. 23. c. 4. ne quispiam, statuit, qui post Baptismum militaverit, ad ordinem debeat Clericatus admitti, neq; qui causas post acceptum Baptismum egerint. Ita Const. Apost. l. 2. c. 6. de Episcopo præcipitur, ne sit φιλομαχῶς, μὴ ταῖς ἑξ ἑξ πνευματικαῖς συμπλασθῆναι, μὴ ἐγγυμένους τινα, ἢ συνηγορῶν δικαῖς χρηματικαῖς, ne pugnas amet, ne secularibus negotiis implicetur, non pro aliis spondeat, neq; fit in causis pecuniariis ADVOCATUS. Adeo sancti erant

*Canonis*, ut *judicem capitalem* agere, inro vel dictare quidem *sententiam*. *Concil. Later.* c. 18. ad 1206. Sacerdotes prohibuerint. Singulis Christianis ne *accusent* quempiam *capitaliter* vetat *Lactantius* l. 6. c. 20. *Neg, vero iusto*, inquit, *licebit accusare quempiam crimine capitali, quia nihil distat, utrumne ferro an VERBO potius occidas, quoniam occiso ipsa prohibetur.* Adde quod irregularis fiet, qui casu quoque hominem necasset. Præter *Exempla veterum* ejusmodi intentata fuit *Abbas, Prasuli Cantuariensi*; cum regnaret in *Anglia Jacobus I.* per *Episcopum Lincolnensem*, quod famulum *Milordi Zouchii* per infortunium occidisset. Parum abfuit, quin infulâ privaretur. *Bayle Diction. Critique* voce *Abbas*. In *Concilio Ancyrano* decretum est, ut *quinguennis* pœnitentia cædes involuntaria diluatur, monetque, *septennium* prius (juxta *Concil. Eliber. nâ fallor* c. 5.) requisitum fuisse: permittitur tamen, *Clericus ut in ordine maneat, ex dispensatione*, dist. 50. c. *Clerico*.

V.

Illustrationis gratiâ ad *Can. 2.* citatum *X. de immuni. Eccl.* observemus; *Gregorium M. Agnello* Episcopo *Ferracinenfi* rescribere, *pacis* occasione, quæ cum *Agilulpho Lombardo*, sed minus firmiter coaluerat. Laudat impensè *jussionem Pontificis Beronius* *Ann. Eccl. Tom. VIII.* ad annum Christi 589. Nec immeritò: *Cur enim Sacerdotes suâ* *locordiâ* *dispergi Ecclesiam, fidemque in periculum adduci* *paterentur? Cur in commune non confulerent? Nihil,* inquit de *Britannis Tacitus* *vita Agric. adversus validissimas gentes pro nobis* *nilius, quam quod in commune non consulant.* *Plebs Romæ Senatores olim militare jussit: cur non & Sacerdotes?* qui *boni publici causâ, ad vias, pontes, fontes* *reficiendos, imò & capsendas locustas* *tenentur: Observ. h.l. Gonzalez.*

\* \* \*

**MONITUM.** Contra artem *Juris* video: loqui p. 8. §. 6. cum *viam & actum* comparo; *actus* enim *via* includitur, ut *tiss*, docent de *servit. & l. 1. p. 1.* de *S. P. R.* Sed verba *γραιμυλιμῶς* intelligo, prout *VIA* transitum, & *AGERE moliri* aliquid v. g. aquam ducere, molem struere &c. significat. Satius tamen fuisset, *iter* cum *actu* comparasse. At quis cum omnibus minutiis eat in consilium?





Österreichische Nationalbibliothek



+Z160407602



